



Ioannes apud Vuestphalos Sufatensis anno cir-
citer 1509 natus, & honestè educatus est. Hic rara
ingenij felicitate usus operam literis dedit, & in ui-
rum doctissimum euasit. In primis autem Iuri Ca-
nonico incubuit, & Decretorum Doctor creatus
fuit. Cum autem de religione quoq; passim con-
tentio fieret, sacris literis diligenter inhæsit, & earū
usum sibi familiarissimū reddidit, ut etiā doctissi-
mis Theologis coniungeretur. Itaq; Colonia sum-
mi templi canonicus, & S. Gedeonis scholasticus
constitutus est. In eo genere uitæ nihilominus li-
bris incubuit, & talem eruditionem solerti studio
sibi comparauit, ut Electori à consilijs esset, & om-

nibus innotesceret. Eo autem tempore Hermānus Elector Coloniensis cum
finitimis Episcopis Coloniae synodum celebravit, ac Ecclesiae reformationē
inchoare instituit. Verūm Gropperus, cuius magna ibi erat autoritas, restitit,
& de ceremonijs librum conscripsit, in quo ueterem religionem per omnia fe-
rè approbavit anno 1536, licet elector contrarium sentiret. Postea 1541 Ratisbo-
nae Caesar comitia Imperij religionis nomine celebravit. In ijs Carolus hunc
Gropperum Eccium, & Pflugium colloctores elegit, ut cum Melanchtone,
Bucero, et Pistorio de articulis in religione controuersis diligenter conferret.
id quod etiam factum est. quanquam tum ob Eccij importunitatem nihil cer-
ti constitueretur. Ab eo tempore Gropperus in Buceri familiaritatem perue-
nit, ac eum ob uirtutes domum rediens suo principi commendauit.